

VNIVERSALIA SCOTI

QVÆSTIO I.

Vtrum Vniuersale sit ens?



In speciali quaerendum est de vniuersali circa librum Porphyrij: & quia omnem quaestionem praecedat quid dicitur per nomen: Ideo notandum,

quod vniuersale sicut cetera concreta, tripliciter sumitur: quandoque enim sumitur pro subiecto: id est, pro re primae intentionis, cui applicatur intentio vniuersalis: & hoc modo vniuersale est primum obiectum intellectus; quandoque sumitur pro forma; scilicet pro re secundae intentionis causata ab intellectu, & applicabili rebus primae intentionis: & sic loquitur logicus proprie de vniuersali: tertio modo pro aggregato ex subiecto, & forma: & illud est ens per accidens: quia aggregat diuersas naturas, ex quibus non fit vnum per se; & sic non est de consideratione alicuius Artificis: quia de ente per accidens nulla est scientia, per Aristot. sexto Metaphys. quia nec diffinibile. Tantum igitur de cetero de illo fiet sermo, scilicet de vniuersali secundo modo sumpto, non autem de alijs, &c.

De vniuersali, & vno.

Primo quaeritur: vtrum vniuersale sit ens? Quod non, videtur per Boetium dicentem: omne, quod est, ideo est: quia vnum numero est: vniuersale non est vnum numero: quia praedicatur de

pluribus vniuersale: ergo.

Item per Aristot. in Praedicamentis: *Cap. de substantia.* omne, quod est aliud a prima substantia: aut dicitur de prima substantia, aut est in illa: sed vniuersale est aliud a prima substantia, & non dicitur de prima substantia, nec est in illa. Ergo: probatio minoris: sola secunda substantia dicitur de primis, vt patet per Aristot. Vniuersale autem cum sit accidens, non est secunda substantia, nec est in primis: quia tunc prima substantia esset vniuersalis: sicut illud, in quo est albedo, est album.

Item, si vniuersale est ens, aut est a natura, aut ab intellectu: non a natura: quia tunc esset singulare, & terminus transmutationis: ergo ab intellectu solo: ergo est figmentum: & ita non ens.

Item, si vniuersale est ens, aut est a natura, aut ab intellectu: non a natura: quia tunc esset singulare, & terminus transmutationis: ergo ab intellectu solo: ergo est figmentum: & ita non ens.

Ad oppositum: vniuersale diffinitur ab Aristot. 1. Per hermentias: sed non entis non est diffinitio.

Item per Boetium: secunda intentiones applicantur primis: non ens autem non applicatur enti.

Dicendum: quod vniuersale est ens: quia sub ratione non entis nihil intelligitur: quia intelligibile mouet intellectum: cum enim intellectus sit virtus passiva per Aristot. tertio de Anima, non operatur, nisi moueatur ab obiecto: non ens, non potest mouere aliquid, vt obiectum: quia mouere est ens in actu: ergo nihil intelligitur sub ratione non entis: quidquid autem intelligitur, intelligitur sub ratione vniuersalis: ergo illa ratio

Text. com. 5. & inde sepe.

Summa textus.

la ratio non est omnino non ens.

Ad primum argumentum dicitur, quod Boetius intelligit de illo, quod est, praeter operationem intellectus, cuiusmodi non est vniuersale.

Ad secundum dicitur similiter, quod Aristot. sic intellexit.

Contra hoc: quia probat conclusionem illam per hoc: quia secunda substantia dicitur de primis, accidentia autem sunt in primis: secunda autem substantia, vt ibi loquitur de ipsis, non sunt praeter intellectus operationem: ergo non tantum intelligit de his, quae sunt praeter operationem intellectus: probatio minoris: quia diuidit in principio capituli substantiam in primam, & secundam: si ergo illa diuisio valeat; sequitur quod membra, vt ibi intelligit, opponuntur: sed quod est secunda substantia praeter operationem intellectus non opponitur primae substantiae, sed est idem: ergo non intelligit de secunda substantia quoad illud, quod est ens praeter operationem intellectus.

Ideo dico: quod vniuersale dicitur de primis ad illud, quod est contra hoc: quia sola secunda substantia dicitur de primis: dico: quod secunda substantia, vt ibi loquitur, sunt accidentia, non quidem realia, de quibus ponit aliud membrum, scilicet esse, in, sed intentionalia, quibus per se competit dici, de; vniuersale autem est quid commune ad secundam substantiam: quia secunda substantia dicitur vniuersale applicatum ad aliquid in genere substantiae.

Ad tertium dico: quod vniuersale est, ab intellectu: & cum dicitur: ergo est figmentum: dico, quod non sequitur: quia figmento nihil correspondet in re extra: vniuersali autem aliquid extra correspondet, a quo mouetur intellectus ad causandum talem intentionem: est enim secundum Boetium species tenuis similitudo singularium: & genus magis tenuis suarum specierum. Dico ergo, quod effectiue est ab intellectu: sed materialiter, siue originaliter, siue occasionaliter est a proprietate in re: figmentum vero minime, &c.

POST QVAM subtilissimus Magister praemittit tres Prooemiales quaestiones circa logicam in communi; sermonem suum dirigit in Librum Porphyrij explicandum; circa quae quendam praebulum apponit; ab Antiquis cum tertia quaestione praecedente insertum; a me autem cum hac quarta: quia illi potius conuenire videbatur, annexum: in quo, quia hic liber agit de vniuersali vt intelligatur, de quo vniuersali agatur; sitque illius subiectum; quandam vniuersalis diuisionem praemittit, dicens: quod vniuersale; sicut, & quodlibet aliud concretum; tripliciter sumi potest: vel pro connotato, substracto, & materiali, hoc est pro prima intentione, seu subiecto apto pluribus communicari: vel sumitur pro formali, & pro per se significato; id est, pro secunda intentione applicabili primae: tandem sumitur pro aggregato ex vtroque significato, ex materiali, scilicet, & formali. Exemplum horum patet in albo: de materiali enim connotat subiectum, cui inhaeret albedo: de formali significat albedinem; pro aggregato significat vtrumque; & hac diuisione praemissa, protestatur, cum Porphyrio, se non agere de vniuersali pro materiali: quia vt sic pertinet per se ad Metaphysicum, estque primum obiectum intellectus; vel quia cadit sub eius obiecto primo, quod est ens reale; vel respectu secundarum intentionum, quae sunt obiectum secundarium: protestatur etiam se non agere de vniuersali pro aggregato; quia vt sic est ens per accidens, de quo non datur scientia: quare concludit se in toto hoc libro agere per se de vniuersali pro formali, & vt est quaedam secunda intentio logica; de quo quaerit primo an sit ens? Quia cum de quo libet subiecto quatuor quaeriri possint: si est; quid est; quia est; & propter quid est; pro informatione radicali iuuenum valde ordinate has quaestiones pertractat: primo primae interrogationi satisfaciens hac quaestione: prima, licet in suo ordine quartae scilicet, postquam partem negatiuam triplici argumento probauit, vnica conclusione affirmatiua respondet, quam probat duplici argumento ad oppositum in auctoritatibus Aristot. & Boetij fundato, ac etiam quaedam ratione a se facta; tandem ad argumenta pro parte contraria respondet, primo ad primum, & secundum, ex aliorum mente, quorum solutione reiecta, ex mente propria respondet ibi: ideo dico. Quod vniuersale dicitur de primis. Quare corrigendus est textus antiquus iussu Mauritiij, & etiam nouus iussu Sarnani editus; & vbi legitur, ad primum argumentum dico; legendum est; vt nos legimus, ad primum argumentum dicitur: ita enim affirmat Ioannes Anglicus legi in quodam textu Doctoris, quem ipse vidit.

Ceterum: quamvis Doctor affirmet se non acturum nisi de vniuersali pro formali; nihilominus propter Modernos, & propter diuisionem praedictam, nonnullos Articulos de ipso vniuersali pro materiali huic quaestioni subnectemus.

ARTIC. I.

An à parte rei denitur natura communes?

1. Sentent.

PRIMA sententia est Nominalium, vt ex corum Principe Ochamo in r. dist. 2. quæst. 4. & 5. colligi potest; quæ in quatuor dictis consistit, primum: omnis res est singularis, & nulla est communis in pluribus existens. Secundum dictum: omne vniuersale est terminus communis: quia quidquid prædicatur est terminus vniuersale prædicatur: ergo est terminus. Tertium, sicut triplex est terminus: materialis, vocalis, & scriptus, ita triplex est vniuersale, mentale, vocale, & scriptum. Quartum dictum: vniuersale potest intelligi, vel in essendo, vel in representando: primo modo nullum est vniuersale, bene tamen secundo modo, non quod significet aliquam naturam communem pluribus; sed immediate plura singularia significat: homo verbi gratia de primario significato significat omnes homines mundi, non vero aliquam naturam communem illis: & hoc modo, & non à parte rei, ponuntur vniuersalia. Itaque secundum hæc sententiam fundamentum remotum vniuersalitatæ logicæ non datur à parte rei, sed vel in vocibus, vel in intellectu.

1. Argum.

Probatum primo, ex primo dicto: omnia, quæ sunt in mundo sunt singularia: ergo nihil est à parte rei commune, & vniuersale: antecedens patet: quidquid est in mundo, aut habet esse per creationem, aut per generationem: sed quidquid habet esse per has duas actiones, est singulare: ergo quidquid est in mundo est singulare: minor patet ex Aristot. in Prooemio Metaphysicæ dicente: actiones sunt circa singularia. Igitur, &c.

Secundo, quidquid est in mundo, aut est singulare, aut commune, cum non detur medium: si commune: ergo nihil poterit esse singulare, nec per se, nec per accidens; nec è conuerso: si fuerit singulare poterit esse commune: quia quædo oppositum prædicatur de aliquo, eius oppositum, nec per se, nec per accidens, poterit illi conuenire: igitur dicendum est, omnem communitatem, quæ singularibus tribuitur, esse per intellectum.

2. Sentent.

Secunda sententia potest esse Thomistarum, qui licet contra Nominales nobiscum sentiant dari à parte rei fundamentum vniuersalitatæ: à nobis tamen, & inter se dissentiant in hoc fundamento explicando: alij enim, de quorum numero est Sonzinas septimo Metaphysicæ, quæst. 40. dicunt, naturam à parte rei esse communem potentialiter, non vero actualiter, habereque vnitatem sibi propriam potentialem, qua in esse vnius communis potentialis constituitur. Alij vero, de quorum numero est Fonseca quarto Metaphysicæ, cap. 2. quæst. 6. sect. 14. & alibi, asserunt naturam à parte rei esse actu vniuersalem, per quandam vnitatem sibi conuenientem, quam, inquit Fonseca, nec esse numeralem, quia est

vinitas naturæ communis, & fundamentum vniuersalitatæ: nec esse formalem; vt vult Scotus; quia vnitatis formalis comitatur naturam, & multiplicatur in indiuiduis, quod non accidit huic vnitati; quare concludit appellari vnitatem præcisionis conuenientem naturæ, vt suis singularibus præintelligitur.

Alij denique cum Diuo Thoma opuscul. 55. & prima parte quæst. 83. artic. 1. & 2. tenent (vt refert Pater Rubius quæst. 3. vniuersalium) naturam ante operationem intellectus nullam ex se habere entitatem, & vnitatem communem; quem dicendi modum sequitur Caietanus de ente, & essentia quæst. sexta. Vbi licet naturæ concedat vnitatem, & communitatem negatiuam, non vero positivam: nihilominus, ait, hanc communitatem esse ens fabricatum à ratione. Quare (inquit Caietanus) errauit Scotus in intelligentia huius verbi, ex se; sumitur enim dupliciter: vel positivè: id est; cum suppositis, & non solitarie: vel negatiuè; id est, sine suppositis, & solitarie: primo modo intelligit Scotus naturam esse ex se communem: & dicitur: cum vt sic sit singularis: & ita eius argumenta nihil concludunt: secundo modo natura est ex se communis: sed talis communitas est per intellectum. Hæc Caietanus in Summa. Itaque omnes Thomistæ conueniunt in hoc, quod natura à parte rei, quatenus suis indiuiduis præintelligitur, non est communis negatiuè illis, in illo priori, nec habet aptitudinem, vt sit in illis, nec proximam, nec remotam: vt clarius contra Doctorem tenent Suarez in Metaphysicæ, disp. 6. sect. 4. & Araujo lib. 3. quæst. 3. art. 5. conclusionem tertiam: quæ quidem sententia in hoc sensu explicata probatur.

1. Argum.

Primo, ex Caietano: quod est existens in rerum natura debet habere quidditatem existentem per se in rerum natura: sed natura communis non habet hanc quidditatem per se existentem in rerum natura, distinctam à singularibus: igitur: minor probatur: quia natura communis solam habet esse in particularibus: & nõ per se: quia tunc esset Idæa Patonis: ergo.

Secundo.

Secundo, omnis res existens in rerum natura est particularis: sed nulla entitas communis est particularis: ergo non existit ex se: minor probatur: quia res particularis est alicui vni supposito propria: aliter non esset particularis; at res communis nullius est particularis: ergo non datur à parte rei communis.

Tertio.

Tertio, nulla datur aptitudo realis ad essendum in multis, per quam natura creata à parte rei de se sit apta, vt vna reperiat in multis: ergo nec datur natura ex se communis à parte rei: consequentia patet: quia aptitudo sequitur naturam: antecedens probatur ab Araujo, & fortius à Suarez vt supra: tum quia natura communis non distinguitur nisi ratione à singulari, sed est ipsummet singulare ex natura rei: sed in singulari non est talis aptitudo: ergo nec in natura, prout est à parte rei: tum etiam: quia natura humana: verbi gratia, vt existit in Petro, ita est determinata ad illum, vt non possit eadem secundum rem determinari ad Iohannem:

nem: ergo humanitas in Petro non est indeterminata ad plura indiuidua: esse enim determinatam ad hoc, & indeterminatam ad plura; opponuntur contradictorie, seu priuatiue: ergo cum talis aptitudo realis ad essendum in multis non possit esse sine indifferentia; sequitur, naturam eam non habere, prout est in singulari.

Quartum.

Quarto, quidquid prædicatur de superiori, prædicatur de inferiori: sed natura à parte rei, est communis: ergo quodlibet indiuiduum erit commune: hoc est falsum: ergo.

Vltimum.

Vltimo, quidquid conuenit alicui per se, eius oppositum, nec per se, nec per accidens, poterit illi conuenire: sed naturæ, præcisa singularitate, conuenit à parte rei communitas: ergo singularitas nec per se, nec per accidens, poterit illi conuenire: & ita nõquam erit singularis: quod est falsum.

Vltima sententia Doct. Floris.

Vltima sententia est Doct. septimo Metaphysicæ, quæst. 13. & quæst. 18. & in secundo distinct. 3. quæst. prima, & suorum ibidem, asserens à parte rei dari naturas ex se communes in ipsis singularibus habentes aptitudinem indifferentem negatiuè, vt possint ex se esse in multis: pro qua notandum primo ex Antonio Trombeta septimo Metaphysicæ, quæst. octaua, §. quantum ad primum, differentiam esse, inter singulare, naturam, & vniuersale: singulare enim est illud, quod est incommunicabile pluribus, & indiuisibile in illa: & hoc maxime in creatis: ratio enim communis indiuidui, tam creati, quàm increati, est, vt sit simplicabile, & indiuisibile in plura: hoc autem quod est esse incommunicabile tantum competit indiuiduo creato: vnde Petrus: verbi gratia, est incommunicabile, & indiuisibile in plura; & propter hoc appellatur indiuiduum, quasi non diuiduum, seu diuisum; quia in plura diuidi non potest, nec eis, vt quod, communicari.

1. Not.

Natura autem, seu ens naturæ, est illud, quod est communicabile pluribus; & est ipsamet natura in quolibet suo indiuiduo, quæ quantum est de se sibi non repugnat esse in alio: & ita talis natura est indeterminata indeterminatiue priuatiua ad quodlibet singulare: ad hunc sensum: quod de se non est determinata ad hoc singulare, magis quam ad illud, sed est apta nata ad omnia determinari.

Vniuersale denique, formaliter loquendo, est, quod habet esse per intellectum, id est ipsa natura prout ab intellectu suis inferioribus comparatur: quæ doctrina Trombeta ab alijs sic explicatur: natura tripliciter consideratur: vel vt contracta in singularibus: vel vt abstracta per intellectum: vel secundum se, quatenus nec est singularis, nec vniuersalis; sed prout equitas est tantum equitas secundum Auicenam; cui naturæ sic consideratæ conueniunt sua prædicata essentialia, caditque sub reali obiecto Metaphysicæ, & est obiectum intellectus, diciturque communis, seu communicabilis multis negatiuè.

2. Notam.

Secundo notandum ex eodem Trombeta, & videtur insinuari à Doctore vt supra: quod indeterminatio, seu indifferentia naturæ est duplex: positiua, & priuatiua: priuatiua, seu negatiua est, secundum quam, natura non est determinata per aliquam singularitatem; sed est apta nata determinari, id est, sibi non repugnat determinari ex sua ratione formali per hanc vel illam singularitatem: & hanc similem indeterminatiue priuatiuam penimus in ipsa natura respectu vniuersalitatæ: quia ex sua ratione formali non est ad vniuersalitatem determinata. Ex quo patet quomodo esse vniuersalem; vel singularem, accidit naturæ per aliquod extrinsecum: nam natura iungitur singularitati à generante: & vniuersalitati, ab intellectu: & hoc est quod voluit Auicena quinto Metaphysicæ, quando dixit: equitas tantum est equitas: id est nec singularis, nec vniuersalis.

Indeterminatio positiua seu contraria, quæ opponitur determinationi per singularitatem, est illa, secundum quam natura, vt habet esse abstractum omnino; habet se indifferenter ad omnia sua singularia; illaque simul æque respicit. Inter quas duas indeterminatiues sunt discrimina nonnulla: primum, quod indeterminatio priuatiua respectu plurius singularium conuenit naturæ, vt est à parte rei: indeterminatio autem positiua conuenit illi, vt habet esse abstractum, & cognitum ab intellectu: hoc est, prima conuenit naturæ, vt est fundamentum remotum vniuersalitatæ Logicæ: secunda vero, vt est fundamentum proximum illius.

Secundum discrimen est, prout colligitur ex Doct. quæst. 18. vt supra, §. contra primam opinionem; quod licet natura, vt indifferens negatiuè, ab intellectu secundum se consideretur, vt prior gradu limitante, & singulari; nunquam tamen verè attribuitur, nisi vni tantum singulari, à quo abstrahitur; alteri enim non vere attribuitur ille conceptus; sed alius formatus à natura, quæ est in ipso: & ratio est: quia cum natura sit per non repugnantiam communis, & indifferens, quacunque singularitate determinatur: & ideo tantum ad vnam (indifferenter tamen, siue hanc, siue illam) potest comparari: at vero indeterminatio positiua; cum sequatur naturam cognitam, & abstractam; non tantum ab vno singulari, sed à pluribus pluries conceptis, per quam abstractionem constituitur natura in esse vnius obiecti, intelligiturque ac si esset vnum quid commune in omnibus positiue existens: ideoque vt sic concepta non tribuitur vni singulari tantum, sed pluribus æque simul, quorum quodlibet est illa, eamque participat: hæc indeterminatio constituit illam in esse fundamenti propinquè vniuersalitatæ: vt infra art. 8. dicemus, nam prima sine ista non sufficit.

Tertia notandum: quod vniuersale, & commune; habent se sicut superius, & inferius: omne enim vniuersale est commune; non tamè è contra: quia ens est quoddam prædicatum commune omni enti, & tamen secundum omnes nõ est

3. Not.